

**IOANNIS BAPTISTAE
EGNATII VENETI**

Romanorum principum
liber tertius.



ENTVM iam est mihi ad territium, atq; ultimum institutæ cōmentationis librū: quæ mihi ut laboris & operæ minus, ita certè multò plus uoluptatis allata ra sit. Nam et à continuis impe-
rij cladibus tantisper auertitur animus, dum letiora prosequor: & hi mihi principes posthac erunt re-ferendi, quorum res gestæ & domi, forisq; felicitas in plerisq; tanta est, ut ueterum Romanorum gloriam non pauci ex his sequent, certè recentiorum memo-
riam, eorum uidelicet qui supra mille simum annum à me repetiti sunt, adeò obscurent, ut iniquisimè pro-
pemodum faciat, si quis hosce illis cōserat. Nam ut ple-
risq; sordes, & generis pudendam originem fileam,
quotus eorū, quæso, fuit, qui aut augēd.e reip. studue-
rit? aut avaritia non flagarit? aut sœvitia in suos, in
externos perfidia infamis nō uixerit? adde uera pie-
tatis in hisce contemptum, tot hæreses ab illis, aut per
summum scelus excogitatas, aut ad insaniam usq; ad
pontificum Romanorum exilia et cædem pertinaci-

ter

ter assertas: accessit odium plus q̄ hostile in Latinum
nomen. Quid dicam quoties insultū sit Romanis pō-
tificibus? Quoties eorum violata maiestas? Nam scis-
matis crimen eō grauius existimari debet, quo & cō-
cordiam nostrorum pontificum sāpius expetiēre, et
expeditā pari leuitate reieccere donec paulatim uete-
re labente disciplina, rēq; magis ac magis in lapsum
prona, tum demū in præceps nostris tēporibus acta,
imperium tanta indole partum, et auctum ad Turcas
transierit: quo factum est, ut gens olim in terris inge-
niorum acumine, tot artium solertia, tanto rerum usit
celeberrima: addo, legibus, institutis domesticis, elo-
quentiæ studio, & tot urbibus ac colonijs per orbem
deductis frequentia et amplitudine optimè de huma-
no genere merita, nunc aris, focisq; patrijs expulsa,
inops, egensq; alienæ opis, aut erret profuga, aut im-
manium Barbarorum iugo subiecta seruat, uti iam in
ipsa Græcia queramus Graciam.

Quod si uerū est, fruges & arbores pro soli, ter-
rarumq; ingenio mutari, & de celo mortales quod
hauriant, naturam & mores induere: simile ueri cer-
tè uideri poscit, Thraciā illā feritatem, & Bithynicā
barbariæ (quando hæc loca recentiores Græci tenuer-
e) esse ab his haustam: & altoqui Thraces homines
& Phryges, & (quod præcipue pudeat) Macedo-
num Cappadocumq; mancipia rerum potiti sunt: ne
aliquot

aliquot Isauricæ gentis ingeram: qui tametsi usi, con-
suetudineq; Græcam linguam imbiberant, patrios ta-
men mores, quibus innutriti fuerant, retinarent: uno
de illis fortasse cuncta perdendi libido, tanquam non
propria tuerentibus, & Romani nominis, Latiniq; co-
temptus ac odium, quòd à principibus suis acceptum
semigræci homines, nec quicquam autem indolis ac
prudentiæ redolentes, si linguam, uestitumq; demat,
in posteros transmisere. Siquidem diuinitus à Plato-
ne dictum, quales essent principes, tales ferè esse eo-
rum, qui his obedient, mores. Ceterum querela, ne
tum quidem gratæ futuræ, cum necessariæ essent, cer-
tè ab his nostris libris absint. Quibus id tantum agi-
mus, uti rem obscuram, ac propè obsoletam illustre-
mus: & uarijs monumentis traditam, nec Græcis, La-
tinisq; hominibus satis exploratam, breui hoc volumi-
ne complectamur. Sumemus igitur auspicium, dijs fa-
uentibus, à Carolo Francorum rege, cui res egregie
gestæ Magni cognomentum iure peperere.

CAROLVS MAGNVS.

Irene Constantini matre Byzantij rerum potien-
te, cum imperij Romani maiestas omnia sibi Bar-
baris uendicantibus obsolesceret, nec in foemina, quā-
uis altæ indolis, inesse præsidij multū uideretur, Leo
pontifex scito Romani populi cleriq; rogatu Caro-
lum Francorum regem, ob egregia in Christi anū no-

R.O. PRINCIPVM LIB. III. 605

mem, & Romanam sedem merita, Romanorum imperatorem primus appellat, inunctumq; cum Pipino filio Augustum consecrat, anno ex quo in Italia imperari desitum post Augustuli interitum trecentesimo ac trigesimo, salutis nostræ octogesimo, regni uero eius, ex quo Francis præsuerat trigesimo tertio: dies tantæ rei lduam Decembrium delectus. Subsecutaq; mox P.R. acclamatio, Carolo Augusto Magno & pacifico uita & uictoria. Huic Pipinus pater fuit, qui primus Christianissimi cognomentum tulit, ob nauitam Romano pontifici aduersus Langobardos egregiam operam. Carolus autem paternæ uirtutis amplus, sub regni initia bello defunctus Aquitanico, Italiæ am, Adriani pontificis adhortationem secutus, ingreditur. Langobardorum regnū, capto eorū rege Desiderio, Francico nomine subigit. Saxones sæpius rebellantes tricennali tandem bello uincit, & quod ab initio semper egerat, uera pietate imbuit. Saracenos Hispaniam sere omnē uastantes intra Beticæ angulum compellit: & præsidij Pompeiopolis, ac Cæsar augustæ impositis, dum in Franciæ redit, Vasconum insidias passus, non paucos ex suis & in his fortissimū quenq; amittit. Sclauos, Danos, & Baioarios tumultuantes in ditionem suam redigit. Iterum Italiam ingressus, ut Romanæ ecclesiæ patrocinium semel receptum constanter tueretur, Beneuentanorum

ducent

ducem Aragisum, Langobardorum reliquias adhuc
fouentem ad officium cogit, Hunnicum bellum octa-
uo post anno felicissime conficit: cum eorum regiam,
que Rhingus appellabatur, expugnasset, & thesa-
ros opulentissime omnium gentis asportasset. Inde
tertio in Italiam contendens, pontificis Leonis ini-
riam ulturus, simul & eius causam cogniturus, om-
nia ex sententia componit. Vnde illi post ingentia
merita imperatoria maiestas & posteris quæsita.
Quare compositis Italiæ rebus, cum nihil grauius in
Langobardos statuissest, quam ut & quo cum Italî iu-
re uiuerent, & partito imperio cum Irene, in quo di-
sertè cautum, ut Veneti suis uterentur legibus, & bel-
lo pace ue neutrîus censerentur iuris, in Gallias re-
dit, filio que Lodouico consorte imperij declara-
to, tandem moritur Aquisgrani V. Calendas Februa-
rij, etatis anno septuagesimoprimo, regni quadra-
gesimoseptimo, post Langobardos debellatos quadra-
gesimotertio, ex quo uero Augustus à Leone pontif-
ice dictus est XIII. Fuit in hoc principe, quod in-
credibile multis videatur, pacis, belliq; par studium,
insignis pietas, beneficentia singularis, humanitas
quanta in superiorum principum nullo: in rebus bel-
licis maior'ne virtus, an felicitas extiterit, nescias:
nullus certe ferociores gentes debellauit, nemo colla-
tis signis saepius dimicauit, nemo bonarū artium stu-

dia

RO. PRINCIPVM LIB. III. 607

dia indulgentius fuit: ipse Parisiense gymnasium, et
Papiense uiris undiq; doctissimis acerfitis instituit:
templa diuis erexit: ueræ religionis obseruator etiā
in minimis fuit. In iurias illatas ciuili animo tulit, in
hostes raro acerbius saeuijt, Italicæ gloriæ ita studuit
& quieti, ut præter Florentiam urbem instauratam,
classe quoq; paratas habuerit, quibus Maurorum po-
pulationes arceret. His meritis ad hæc usque tempo-
ra à multis ut ccelitum unus colitur. Eius monumenti
elogium huiusmodi fuisse traditum:

CAROLI MAGNI CHRISTIANISSIMI
ROMANORVM IMPERATORIS COR-
PVS HOC CONDITVM EST SEPVLCHRO.

LVDOVICVS PIVS.

Iam uti Carolo patri res egregiæ domi forisq;
gestæ Magni cognomentū peperere, sic Ludouicū
co facilitas, ac clemētia, religionisq; sumnum studiū,
Pij tertio ad hoc eui dedit. Qui sub patris mortem
Aquisgranum ex Aquitania contendens, diuersarum
primo gentium legationes audijt, inde Dacicum bel-
lum ex sententia conficit: nec multò pōst Bernardum
ex Pipino filio nepotem in Italia res nouas molien-
tem capitali pœna afficit: in antistites rerum nouar-
um autores mitius actum: inclusi coenobijs uita do-
nuntur, & cum Britones, reliquosq; pacis turbatores
comprese

compreßisset, à filijs tribus captus, tanquam in Caro-
lum natu minimum propensior esset, imperium eu-
rare cogitur: sed tumultuante optimo quoq; restitu-
tus pristinæ dignitati, nō multò pōst partito impe-
rio deceſſit Maguntiæ, cū imperasset annis uigintise-
ptē, uixiſſet LXIII. Hic Stephanū Romanū pontifa-
cem magna Gallorum frequentia exceptum, & cru-
ce magni ponderis donatum à ſe dimiſit. Quin &
Paſchali ius eligendorum præſulū remiſit: ſanxitq;
ut ſacri ordinis homines à gemmis, cultioreq; ueni-
tu temperarent. Quid fakturus pientiſſimus impera-
tor, ſi luxum noſiri temporis aduerteret?

LOTHARIVS.

TRes ſuperſiſtes liberi Ludouico fuere. Lotha-
rius natu maximus, p̄ter Italiæ regnū Nar-
bonensem Galliam & imperij decus aſſequitur. Ca-
rolo Gallia omnis citra Moſam data, Ludouicū Ger-
mani regem fortiti: ſed non diu mansit fratribus con-
cordia. Violatus (credo) ab his pater tanti ſceleris
poenas expoſcebat: quippe qui ardentibus animis in-
ter ſe, dum paternam imperij diuisionem aequo ani-
mo non ferunt, in festis ſignis concurrēre ad Fontani-
cum Altissiodorensis agri uicum: qua acie tot Gal-
lorum millia utrinq; cecidēre, ut conuile prope im-
perij uires fint: uictus tamen Lotharius, & Ludouic-
ius à Carolo: & cum bellum iterum repararent, ite-
rum fu-

R. PRINCIPVM LIB. III. 609
run fusi pacem petiere. Quæ his propè conditioni
bus data, ut imperij titulo, Lotharius cum Italia &
Narbonēsi Gallia frueretur: Ludovicus Germaniam
possideret, Carolus Francis à Mosa ad Oceanū p̄
cesset: addita & ea Gallie pars, quæ Scalden inter et
Rhenum iacet: ea nunc Lothoringia est: p̄se cū Lu-
douicū filium regni consortem adsciuisset, & impe-
rij socium declarasset, XV. post anno monasticā ui-
tam secutus est, tēdio rerum aduersarum (ut opinan-
tur) affectus.

LODOVICVS.

Hic Lotharij filius eo uiuente (ut diximus) re-
gniq; imperij consors efficitur. Romæq; à
Sergio p̄tifice inungitur, & coronatur: reuersusq;
ex Italia in Germaniā, post patris mortem cum Ca-
rolo Caluo Francorū rege discordibus animis ferè
semper uixit, propter Austrasie regnum, quod Lo-
tharij fratris fuerat, et Caluus id sibi totum uēdicat-
rat: sed mox cōpositis rebus, cū annum unū & XX.
rebus p̄fuisset, moritur Ludouico filio superflite.

CAROLVS CALVVS.

Redierat Ludouico mortuo summa imperij ad
Carolum Francorū regem, minimū natu Lu-
douici Pij, qui cum Britonibus & Nortmannis uaria
fortuna dimicauit, postea audita Ludouici morte, in
Italiā profectus à Ioanne pontifice corona dona-

Oq tur im-

610 IO. BAPT. EGNATII

tur imperij. Quare mox in Saracenos mouens, facile
conatus eorum repressit; inde Galliam reuersus bre-
ui Italianam repetit; aduersus quem Ludouici Germani
filij dum bellum parant, ipse curis consecutus, uencio
à Sedechia medico Iudaici sanguinis dato obiit, Lu-
douico Balbo herede. Notata in hoc imperatore am-
bitio non modica.

LVDOVICVS BALBV.S.

Ludouico Calui filio Ioannes pontifex imperij
titulum, præter Italiæ multorū principum uo-
luntatem, solus afferuit: qui è custodia fugiēs, cui Ro-
mani illum incluserant, & in Galliam contendens, ra-
tum Balbo imperium suo assensu fecit: quod tamen
ualecudinarius princeps biennio uix obtinuit. Obiit
anno salutis octingētesimo octogesimo, Carolo Sim-
plice herede.

CAROLVS CRASSVS.

Hunc Crassum à corporis (ut arbitror) habitu
dine dixeré, qui Ludouici Germanici regis
filius a 10āc obtinuit, mortuo Balbo, imperij coro-
ram hic Nortmannos, Pannonasq; uarijs prælijs af-
flicxit. Robertum autem Nortmannorū ducem de sa-
cro fonte leuauit, data illi in uxorem filia. Sed mox
cum inutilis imperio, nec in eo satis præsidij uidere-
tur, ad Nortmannos Gallia exturbandos ob subitam
uum morbi, abrogato illi imperio post decenniū de-
cessit;

NAT
R. PRINCIPVM LIB. III. 611
cessit laudatur in hoc principe religionis studium,
et in literatos homines benevolentia, quos ad scri-
bendum adhortari soleret.

ARNVLPHVS.

VT nihil certi affirmare de Arnulphi origine
habeam, facit scriptorum inconstancia, mihi
tamen similius uero videatur, ex Carolo Magno Lu-
douici Balbi prognatu: nec enim video qui fieri po-
tuerit, ut obscurissimus homo (quod quidā afferant)
imperio præsuerit, Gallis præsertim suos reges tata
ueneratione colentibus, & ignobiles auersantibus.
Huius igitur uirtus efficerat, ut quando Carolus Sim-
plex parum idoneus haberetur, iste imperaret: qui
aduersus Normānos res egregias primò geſſit: mox
in rapinas, templorumq; ſpoliationes cōuersus, iusta
numinū ira plectitur. Nam & prior illum felicitas
deseruit, & breui pediculari morbo confectus obiit:
illud acceſſit grauius, quod imperij maiestas in eo de-
fecerit, que per annos centum tanta indole à Ca-
rolo Magno quaſita, nescias maiore Gallorum de-
decore & infamia, an Italiae damno, ad Germa-
nos tralata sit. Terra certè Italia ſub Gallorum
principatu adeo floruit, ut uetera Romanorum
principum tempora non ſanè desiderares, ſed &
anni ſexaginta usq; ad Othonem primum Saxonum
regem, quibus nullum non calamitatis genus ſenſit

Q9 2 illa

illa olim gentium alumna, & parens Italia, fecere, ut
Gallicum nomen desiderabilius foret. Ceterum de
his alias.

OTHO PRIMVS.

SExagesimus ferè agebatur annus ab Arnulphi morte, Berengarij interim Langobardici sanguinis Italiam uexantibus, & Vgone, Rodulpho, & Lothario Gallis principibus rem sibi interdum assentibus. Ceterum cum Berengarius tertius cum Adelberto filio tyrannum uerius, quam principem ageret, accersitur à Romanis Otho. Cuius tunc nomē a pietas celebris erat, Boleslao Boëmo capto, et Vngaris prælijs aliquot afflictis. Ille igitur Saxonia egressus cum L. milibus armatorū Italiam per patentem Forijulij portam ingreditur, facileq; Berengarium & eius filium ad obsequium retrahit, quos data uenia magna etiā Galliæ Cisalpinae parte donat. Inde abiens Ludouicum Franciæ regem factiōne suorum carceri inclusū eripit: nec quiescere diutius datum, Berengario et Adelberto res nouas moliētibus: quos facile uictos & captos, alterum in Austriam, alterū Byzantij relegat. Inde Romam profectus, à Ioāne pontifice, primus Germanorū principum corona do natur imperij: quem tertio Italiam repetens, cūm gravissimorum criminum reus ageretur, s̄pē tamen aet̄a ut resipisceret admonitiū, coacta synodo officio deiicit.

RO. PRINCIPVM LIB. III. 613
deiicit, Leone suffecto. Hunc cum Ioannis pontificis
necessarij, illo sub Othonis profectionem redeunte,
urbe cieciſſent, statim ulturus inſignem iniuriam ex
Vmbria Otho aduolat, ac Romanis C O S S. in Ger-
mania relegatis cum preſecto, Leonem restituit. Sa-
racenisq; ac Græcis, qui illis adhæſerant, Calabria,
Appuliaq; fugatis, in Germaniam reuersus Viennæ
obiit. Vir pacis, belliq; artibus inſignis, pietatis au-
tem assertor præcipius, rebus præfuit annis XXX.
Et amplius.

OTHO II.

HVNC ex Adelaida Lotharij uxore ſuceptum
pater ſuccellorē ſibi iuicuit, et inungendū
à Romano pontifice curauit. Cuius etiam opera Sa-
racenos, Græcosq; Calabria expulit. Hic mortuo pa-
tre, Henricum Bauarię ducem nouis rebus ſtudentem
armis domuit, Et aduersus Lotharium Francorū re-
gem, qui ſibi Lothoringiā aſſerebat, Galliam ingreſ-
ſus ſe diſ populationibus uafat. Cæterum dum reuer-
titur, in Axone fluuij transitu graui incommodo à
Francis affectus eſt, plerisq; militū fluminis impetu,
alijs ferro enectis: Et dum in Italīa festinat ad famā
Græcorū principum, qui Saraceno etiā milite instru-
eti, Italiani ſibi uendicabāt, his cōgressus ad Basan-
tellum uincitur: ipſe ſcapha conſenſa ad mare dela-
tus, Romamq; ex Sicilia profectus, Beneuentanos in-

primis ultus est, quos uti desertores oderat: Bencuento autem incensa Bartholomaei reliquias inde asportatas Romae componit, ubi non nultò pòst fato uita deceſſit XVII. imperij anno.

OTHO III.

Non pœnitet adhuc Germanorum principū, quippe quorum uirtute Christiana pietas & res italica respirarit. Cui restituendæ auitæ, pater næq; uirtutis æmulus Otho tertius incubuit: q à principibus Germanis imperator Romæ dictus, Brunonem Saxonem pontificem creat, Gregorium quintū appellatum: inde Saxoniam inuisens, Romanis ingentibus mox copijs accinctus, minarū iræq; plenus aduolat, ferebat uidelicet iniquo animo Gregorium ab his expulsum. Capta igitur Roma, & Crescentio auctore discordiæ à multitudine cæſo, Ioāne adulterino pontifice luminibus priuato, Gregorius restituitur: qui statim sanctionem eam tulit, quæ per quingentos annos adhuc durat: Imperatorum nullus hereditariam dignitatē uendicato: principes sex, sacri ordinis tres, profani totidem cū de iugū, hi si discordes fuerint, Boëmiae regem cooptato. Nec multò pòst Otho undeuigesimo imperij āno naturæ cōceſſit. Fuit hic Veneto principi Vrscolo familiaris, in cuius gratiā cum Venetias inuisisset, uoti reus pallium aureum; quod annuum Veneti pendebant, remisit.

HEN

IN Othonis locū ex Gregorij formula Henricus Bauarici sanguinis imperiū adipiscitur, uir pietate insignis, nec armis ulli priorum principū minor; pars sanctimonia, ac innocentia Sine gundæ cōugis, qua cum Henricus cœlibē perpetuō uitam duxit: unde etiam mortui diuorū numero adscripti miraculis illustres fuere. Henricus igitur post Germaniæ res compositas, Italiam ingressus, Capua Saracenos expulit. Græcorum ducem Troia à se munita spoliat, quibus gestis octavo imperij anno in humanis esse desijt.

CORRADVS SVEVVS.

Poet trium annorum interregnū legitimo tandem suffragio Corradus Francus eligitur, uirute, ac militari disciplina ad tantum fastigium cuectus: qui comparato exercitu, Mediolanum diu obseedit: & cum supremum exitium urbi minaretur, de territus oraculo omnem grauiorem iniuriā absinuit, Romani; profectus corona imperij à pontifice accepit. in Sclauos inde ac Pannonas feliciter pugnat, qui rebellantem Italiam socialibus armis adiuuerant: neq; non Rodulphū Burgundiæ regem suis cōciliat. Leopoldum etiam pacis & otij turbatorem, bello petitum compescit. Mouendi belli causa, quod sub initia imperij legem seuerissimam tulerat, si quis pa-

616. IO. BAPT. EGNATII
eem turbasset. Corrado autem post annum XV. uita
functo Henricus succeſſit.

HENRICVS II.

Gener hic Corradi imperium accipit, & ante
omnia Odelricum Boemie bello fatigatum tri-
butum anuum sibi pendere cogit. Inde Petrum re-
gem ab Vngarib[us] eictum restituit. Ceterū pert[er]sus
eorum, que Rome circa pontifices per sumnum sce-
lus agerentur, Romam contendens, abdicatis adulte-
rinis pontificibus aliquot, Bambergensem pr[es]ulem
pontificia sedi pr[es]cicit, quem Clemetem secundum
dixere: & ut caueret in posterum summorum ponti-
ficium securitati, iure iurando Romanos adigit, nem-
ne creationi eorum interfuturū sine eius permisso:
Capuaq[ue] aduersus Saracenos nouo pr[es]idio firmata,
in Germaniam abiens, duodecimo imperij anno
H[en]rico filio superstite ad superos abiit, cum Leonē
nonum primō, mox eo defuncto Victorem secundum
pontifices suo priuilegio declarasset: unde Victor in
beneficij gratiam Henricū adhuc puerum C[ae]ſarem
creari passus est.

HENRICVS III.

Is si quām bello magnus, tam pacis artibus, ac pie-
tate insignis esse curasset, haud dubiè Carolis &
Othonibus æquari potuit: nemo bellatior hoc uno fu-
it: ne no collatis signis ad hanc diem pluries cum ho-
ste con-

R.O. PRINCIPVM LIB. III. 617

ste conflixit, quippe qui M. Marcellum & Cesarem
Dictatorem supergressus, bis & sexages pugnarit.
In Saxones tamen & Rodulphum eorum regem ar-
ma sepius intentata, quibus cum congressus semper
ferè uictor abiit. Quin nouissimo prælium fugatum
etiam Rodulphū interfecit. Mathildem pōtificis par-
tes in terra Italia tuentem uicit Henrici filij opera,
sed quam bello clarus, tam insectatione pontificum
infamis, à quibus diris etiam pontificis primus impe-
ratorum post Arcadium petitus est. Nec causas in-
presentia exquirere libet. Certè nūq; laudes Grego-
rium pontificem ab eo obseßū: adulterinum pontifi-
cem unum, & alterum superinductum: dolis & uene-
no etiam in illos grassatum: matrem foeminam opti-
man à filio exp̄sam, atq; in exilio mori coactam:
Gallorum memorabilē illam expeditionem s̄pē im-
peditam. sed luit mox penas: ab Henrico enim filio
captus, & Leodij custoditus, pædore carceris post
annum XLVIII. imperij, miseram animam efflauit.

H E N R I C U S I I I I .

Quis non Henrici prolem agnoscit, impietate
paternam redolentem ex continua pontificie
insectatione: sed cui parceret homo nefarius, qui im-
pias manus in qualemcumq; parentē intulerit? acce-
dit ad impietatem animus dolo magis, quam uirtute
præter Germanorum morem instructus, quare Pa-

Qq 5 Schalene

schalem per summam perfidiam pontificem in potestate redactum, nō prius dimisit, q̄ ille cuncta rata, quae uoluit, faceret: à quo coronam quoq; imperij per uim expreſſit. Quæ mox uti extorta sibi cion irrita pontifex denunciasset, Henricū in Italiam statim exciuit. Romæ ergo agens (quando pontifex in Appuiam uitabundus hominis furorem contenderat) ab Bracharense antistite iterū corona insigniri uoluit, tertio quoq; Italiam inuadens G. laſium pontificem urbe pellit. Cuius aduentum reformatans Henricus (quippe qui Nortmannicis armis instructus aduertere dicebatur) in Germaniam rediit, ubi post annum imperij XV. obiens maiorum sepulchro infertur.

LOTHARIVS.

Non est cur Saxonum principū pietatem, ac constantiam in afferenda pontifica dignitate, præter alias egregias eorū virtutes nō magna pere commendes. nulli certè ex his principibus, qui Germanici sanguinis fuere, plus pontificum maiestati detulere: nulli religionē constatius fouere, id quod Lotharius à maioribus acceptū uelut hæreditarium in Innocentio præstitit. Quæ in Gallijs pene exulē, cū uenerabundus exceperisset, breui, uti pollicitus est, Barione sedi restituit, & in Germaniam ad cōponēdos tumultus qui exorti erant, mox profectus, breui Italiam in pontificis gratiā repetiit: eumq; pulso ex

Italia

Italia Rogerio Nortmanno & pseudopontifice, ita confirmauit, uti nihil inde mouere pontificis aduersarij sint ausi; sed breue imperium annorum undecim effecit, ne res felicibus auspicijs copta conualescere admodum potuerit. Satis constat hunc, cum principes imperatorem diceret, diu reluctatum esse, indignum se professus, qui tantæ rei præficeretur.

CORRADVS II.

Lvdouico Francorū rege contra Saracenos armata parate, Corradus gente Suevus legitime Imperator creatur, q̄ eādē militiæ emulatus pia et ipse arma induit: sed Bosporū Thraciū immaturè à Græco imperatore traijcre coactus, cum deesset cōmeatus, & qui à Græcis cōportabatur gypso infectus esset per summum scelus, ille Iconij obsidionem, in qua diu fuerat, soluere cogitatur, decimoq; uix milite extant nuper multitudine superstite, ipse in Germaniā am retro abiit, & imperij anno XV. inglorius obiit.

FRIDERICVS I. AENEOBARBV S.

Pessimò iampridem exemplo pontificiæ cū imperatoribus contentiones inoleuerant: dum pontifices imperatoriam maiestatē, quam illi suo suffragio ratam facerent, contemptim penè habent, & Romani principes ambitionē in sacerdote præpostera equo animo ferre non possunt. Vnde omnium malorum sons & origo, his inter se decentiis, quorum

ope

620 IO. BAPT. EGNATII
ope ac concordia res Christians florere diutissimè
potuit, id cùm aliás experti maiores nostri sunt, tunc
uerò hoc tēpore utinam nō extrema cū nostra per-
nicie sentiamus. Certè Friderico ingētes animi, cor-
porisq; uirtutes affuēre, statura procula, robur &
agilitas par, disciplinae militaris et glorie appetēs:
periculorum cōtemptor animus, non tamen ut ad ea
subeuanda prudentia decesset: multarum rerum peri-
cia, liberalitas egregia, felicitas summa, quibus uirtu-
tibus instructus in Italianam ex more descendens, pri-
mum omnium Derthonā portas sibi claudere ausam,
obsessam capit: inde Romanā ad Adrianū pontificē
profectus, coronae insignia accipit: dumq; Cremonā
inter redeundum obſideret, nuncijs Alexandri pon-
tificis opem postulantis ita respōdit, uti rē in dubiū
trahere uelle uideretur. Hinc primum Alexandro ti-
mor, inde aperte inimicitiae exortæ, indignatæ Fri-
derico suum arbitrium declinari, Pontifice uerò rem
certam in disputationem uenire recusante. Quapro-
pter imperator Octavianum ad se uenientem coma-
plexus, concilio habito, ut uerum pontificem adorat,
& Alexandru Alexandriq; fautores insectatur: euer-
saq; prius Derthona, que in partibus Alexandri sta-
bat, Mediolanum inde solo æquat, Galliāq; omnem
Cisalpinā eadem sentiētem ustat: mox in Germaniā
abiens, tertio Italiā maximis copijs cinctus inuedit,

AMCO

RO. PRINCIPVM LIB. III. 621

Anconemq; expugnat, et Alexandrum Roma fuge
re compellit: ex urbe aut̄ pestilentia coactus absce-
dere, postq; iterum suos Germanos inuaserat, Italiam
repetit. & A sta urbe capta Alexandriam frustra obsi-
det, et cū Papenses ac Nouocomenses obnoxios sibi
in primis haberet, eorū auxilijs fretus, prælioq; Me-
diolanensibus congressus, multos ex his amisit: ipse fu-
ga elapsus, V. pōst die Papie est uisus. Cæterum Ale-
xandro Pontifice Venetas ex diutino errore confu-
giente, uicto etiā nauali prælio à Venetis Othonem fia-
lio Friderici (quod uaria monumenta nobis attestan-
tur, et si scriptorum uariet fides) tandem pax Vene-
tis sancita, imperatorq; ac Pontifex ex diutina dis-
cordia amicissimi facti: nec multò pōst Fridericus,
dum rebus Syriacis opem maximo apparatu ferret,
iamq; Saladinum & Turcarum principes in maxi-
mum sui nominis terrorem conieciisset, minore etiam
Armenia recepta, lauandi causa amnem ingressus,
periit, cum annos XXXVII. imperasset, Aeneobara-
bus à colore barbæ ruffæ appellatus.

HENRICVS FRIDERICI F.

ASperum à maioribus appellatū hunc à quibus
dā video: qui rex Siciliæ accepta Constantia
Rogerij Normanni filia in uxorem, mox etiam im-
perator à pontifice dictus, ut maior illi autoritas ac-
cederet acquirēdi, regni ductis in Tancredi copijs.
qui

622 IIO. BAPT. EGNATII
qui impari matre natus regnum sibi utendicabat: res
clamantibus etiam potisicibus Neapolim frustra ob-
sidet. Sed & pestilentia, quae grassabatur, auertit ab
incepto hominem, retroque in Germaniam ad suos ab-
ire compulit. Tancredo autem brevi mortuo, potitus
Henricus regni, Maguntinum antiabit, Philippum
que fratrem in Syriam cum non cotemnendis copijs
misit. Dedit autem id magis pontificū gratiae, quam
quod animū haberet Christianæ rei iuuandæ. Qua-
re cum imperij anno octavo Messanæ mortuus esset,
Germanus miles, qui Berytum iam in Syria munie-
rat, & toppe obſidione leuarat, tumultuose (ut mos
est gentis) ex Syria in Italiam rediit, nec ullius ponti-
ficiis adhortatione in officio contineri potuit.

PHILIPPVS.

Hoc primum tempore in Germania seditione
laboratum est, alijs imperij nomen ad Othonem
Saxoni ducem, alijs ad Philippum Henrici fratrem
trahentibus stabant autem pro Philippo iij, qui Ger-
manum hominem Saxoni preferebant, recens insu-
per Henrici fratri, et Friderici patris memoria Phi-
lippum adiuabant: & ne quid ad alendam discordi-
am decesset, Othoni Anglus rex: Philippo, Francorū
Philippus ex professo fauebant, præualuit tamen Phi-
lippus: & fugato sepius Othono, rerum tandem po-
titur, indignante etiam Innocentio pontifice, qui
Otho-

Othonem imperij insulis redimiuerat. Philippo autem occiso à Palatino Comite, postquam annum nonum imperasset, Otho successit.

OTHO.

Philippo mortuo, facile à Germanis proceribus ad tollendam discordiam sufficitur Otho, pro quo haud dubiè pontificis fauor stabat: quem et confessim corona donauit, cum Romam petisset. Ille uero cum et pontificiae ditionis quedam oppida capere, et Friderici iunioris regnum inuadere uellet, diris pontificiis petitus, imperij titulis priuatur. Fridericusq; illi ex professo hostis admittente etiā innocentio creatur imperator. Quo nuntio in Saxoniā profectus, utres componeret, bellum Philippo Franco-rum regi indicit: nec sine manifestani numinis, et Gallorum uirtute memorabili clade affectus Otho, impatriam se inglorius recepit, cum annos tantum quatuor rerum potitus esset.

FRIDERICVS.

Viguerē in hoc principe, quod negari non possit, egregie corporis, animiq; uirtutes, namque similimus, militaris laudis appetentissimus fuit. Corpus laborum non minus patiens, quam strenuum: plurimum audacie ad pericula subiecta, non minus tamen consilij inter ipsa discrimina: nullo unquam labore

624 IO. BAPT. EGNATII

labore fatigatus, nullis casibus uictus, linguarum peritus, munificentiae singularis: regij splendoris, et ornatus ambitiosissimus, ut in ea profectione, qua euocatus ad concilium ab Innocentio fuerat, ostendit. Namq; tot & tales secum eduxit, ut togatum agmen exercitui par esset. Sed & urbi Victoriae a se conditae ea omnia affuere, quæ nulli unquam principes haberint, nulla postea ciuitas simul uiderit. Vestis uaria & pretiosa, animantes feræ, cicuresq; diuersi generis: hominū portentosæ formæ, et in his Saracenus miles illi in primis acceptus. Tanta præterea imitacionum frequentia commercijs etiam multarum gentium aucta, ut nihil ad amplissimæ urbis formam deasset. Ceterum has ingentes in principe uirtutes caliditas ingenij, ac perfidia, & scutitia in Guelphum nomen, neque non in pontifices odium obscurarunt: accessit ad hæc libido hominis immensa, qui præter gentis morem concubinas multas & scorta aleret: scriptoribus etiam admittentibus, ne is qui toties execratione pontificia petitus erat, qui que Italiae adeo infestus imminebat, uti eam propè ad intermissionem redegerit, non omni infectione dignus haberetur. Cum hac igitur uitiorum, uirtutumq; indeole Aquigrani coronatus, quò se adolescens adhuc receperat, primum Othonem adhuc sibi obſistentem facile profligat: deinde paratiſsimis copijs de Syria uenadicans

dicanda sollicitus, Gregorij etiam pontificis adhortatione Brundusium appulit: indeq; soluens cūm Aconem peruenisset, anathemati subiectum se à Pontifice accepit: unde irarum plenus abiens, ad Gregorium tamē supplex accessit: impetrataq; ab eo uenia, mox illum ludibrio habuit. Quare iterum diris pontificijs obnoxius, in Italiam descendens Mediolanenses pro Pontifice sentiētes prælio uincit, et captum Petrum Teupolum Venetum, eorum ducem, carceri inclusum crudeliter necat. In Venetos quoque fines incassum arma mota: mox Pisas sese recipiens, Guelphos, ac Gibellinos perniciosissima Italie nomina primus inuexit: quibus adeò Gregorium exercuit, ut ille non multò pòst obierit, prægrauantibus curis. Cœlestino autem intra XII. diem uita functo, successit Innocentius: qui pertæsus hominis calliditate in atq; animum in se hostilem, primum imperio abdicat, deinde anathematis spiculum in illum disstringens, Henricū Thuringie Lanthgrauium (ea est dignitas apud Germanos) imperatorem dicit: moxq; magnam Italie partem in illum armat. Parmaq; per eius absentiam illi adempta, cūm eam frustrè Fridericus obsideret, tandem eruptione uictus à Montelongo legato est. Captaq; urbs Victoria, ac direpta, nec interim ea clade à Pontificum iniuria temperauit. Cæterū Panorum profectus, Manfredi filij nothi dolo necatur, cūm

Rr annos

626 IO. BAPT. EGNATII

annos duos ac XXX. rebus præfuisset. Hic Bononiense gymnasium, quia ciues imperata nō statim fecissent, Patauium transtulit: ex Florentia etiam Guelphos populariter eiecit,

RODVLPHVS.

Hic electus
Fran. fūrti cale-
dig. octob. anno
milleimo dūce-
lesimo septuage-
simō tertio.

In terregnum à Friderici morte ad Rodulphum Habspurgensem per duodecim annos fuit, quo patro Manfredus Friderici filius, & Corradinus regno Neapolitano pariter & uita à Gallis spoliati sunt. Interim Rodulphus ex comite (uti nunc uocant) imperator declaratus Alphōso Castellae posthabito, qui eam dignitatē ambierat, Othocarū Boēmie regē

Hic pseuofridericus acie uictū occidit. Pseudofridericum captum, qui se Rhenanis aliquot pro Friderico iuniori Suevis ostentabat, Nouesij cō-
urbo uictor erat bussit. Ciuitates Hetruriæ libertate accepta pecunia
in Imperatore sollicitas ad defensionem donauit: quā rem Honorius pontifex uti infamē, sibi
suggeri karūm auxiliū tamē, et Italia nō inutile magis non probauit, quām
ad repetendā sēcūriam auxiuerat. prohibuit. Obiit autem Rodulphus XVIII. imperij
anno, & Spiræ sepelitur: in quo si auaritiam non ac-
cuses, cetera non reprehēdas. Italia certè tum primū
aliquid sibi polliceri potuit, Luchino Italici sanguini
uicarij nomine tunc Mediolani præfecto: floruit
huius imperio Albertus cognomento Magnus.

ADOLPHVS ASSIAE.

Donatus imperij titulis hic primum in Colubra
rienses mouit: inde in Albertū Austriæ ducē
dum

dum bellū parat, quem proceres Germanie, pertæsi
Adolphi fortes et ambitionē, eo reiecto, imperatore
declarant, ab eodem apud Vangionas prælio supera
tur & occiditur, cùm annos octō rerū potitus esset.

ALBERTVS.

R Odulphi superioris filius et Austriae dux, à pa
tre Othocaro occiso declaratus principū sus
fragio, et Bonifacij pontificis assensu dicitur impera
tor: & Bonifacius eo libentius assensit, cū id obstina
tissimè antea negasset, quod Philippum Francorū re
gem oderat. Quare ea conditione Alberto ratum
imperium fecit, ut regnum quoq; Francorum sibi uen
dicaret: ille uero post Adolphum in Spirē agro cæ
sum, cùm copias tantæ rei idoneas parat, à Ioanne frā
tris filio interficitur post decimum imperij annum.

HENRICVS LVCELBVRGENSIS.

H Enricus ex Lucelburgo Romanorum impe
rator designatur. Cui Clemens pontifex ea
conditione ratum imperium fecit, ut primo quo
que tempore in Italiam transcenderet: quam pro
uinciam eo libentius Henricus obeundam susce
pit, quod Guelphici nominis hostis prævalentes
eius factionis opes infringere optabat: per Tau
rinos igitur saltus Italie insinuatus, Mediola
ni factionem turrianam oppresit, vicecomiti sum
ma rerum demandata: inde Romam profectus,

accepta imperij corona, & ab Ursinis breui expulsus, adiuuante etiam Roberto Rege, Hetruriam repetit: Aretijq; agens post Robertum regno priuatū, dum Florentinis immineret, qui iam de salute desperabant, ueneno in Eucharistia dato, perijt anno imperij V.

LVDOVICVS BAVARVS.

Hic Rodulphi imperatoris ex filia nepos, Fridericum Austriae ducem aduersariorum habuit: quicum per octo annos bellum uaria fortuna gesit. Ceterū Friderico capto & occiso, Bauarus rerum potitur, pariq; temeritate imperatorem se citra Pontificis assensum appellat. Qua iniuria offensus Ioannes XXII. illi sacris interdixit: uerū homines iuxta ac numina contemnens, Italiam mox petit: atque in uicecomites ingratisimus, quoru ope adiutus præcipue uenerat. Castrutij filios pari improbitate, qui Gibellinæ factionis fautor acerrimus fuerat, paterno principatu exuit: Romæq; coronatus à Stephano Colunnio, Patrum Corbariensem pseudopontifice creat Minoritanæ familie unum, quem & Nicolaum appellari uoluit: & ne quid ad serendas discordias malorum deesset, tyrānos in ijs oppidis, quæ pontificij iuris erant, priua autoritate instituit, Pontificem emulatus, qui ex ipse Galliae Cisalpinæ multos autoritate sua regulos præficerat: imperij tandem anno xxxij. cum

cum uaria tentasset ad reconciliandā Pontificis graziam, obiit.

CAROLVS QVARTVS.

Priusquam hic imperium adiret, Germani principes Edoardum Anglum & Misnensem principem, ac Guntherum montis nigri regulum Cesares declararant. Ceterū altero post alterum uita functo, res ad Carolū Boēmum deuenit: qui Ioanne Henrici imperatoris filio natus, adolescens adhuc egressum in terra Italia patri operam nouārat: quo ab Anglis interfecto, ea acie qua Philippus Valesius Frā corum rex ab hisce profligatus est, imperium adipiscitur: literis ac linguarum multarum cognitione instrutus: sed qui Boēmiæ sue, q̄ Germanis, aut Italī cōsultum mallet: nam cū Pragā (Boēmiæ id oppidum, totius regni metropolis) uarijs operibus excoluisse, imperij maiestatem adeò neglexit, ut coronam tātē maiestatis autoramentū turpissima pactione accepit ab Innocentio: qua cautum erat expreſſe, ut ab acceptis insignib. confestim Italia abscederet: additum & grauius facinus, q. Venceslaum filium adolescentē à principibus Germanis Cæsarē dici obtinuit, exemplo maximè improbando. Imperauit annis XXXII.

VENCESLAVS.

Avo, patriq; ab similiſ, per ignauiam ac socordiam imperij res affixit: affixissetq; diutus,

Rr 3 nisi

misi à fratre Sigismundo captus, mox etiam procerū consensu abrogato illi imperio, Robertus Bauarus illici surrogatus esset. Hic Galeacum ex comite Mediolanensis primus ducem dedit: quæ dignitas ad nepotes postea transiit, quoad res Insibriae ad Francorum regem rediit. Præfuit an. XXXII.

ROBERTVS BAVARVS.

CVM Venceslao suspectus esset Robertus Bauariæ dux, nihil ille antiquius habuit, q̄ut Florentino populo gratificaturus, ad comprimendam Galeacij vicecomitis potentiam in Italia transcenderet. Ceterū ad Benacum Galeacij copijs congressus facile repellitur: unde mox ad Venetos deflexus, magno ab his honore excipitur: inde soluens incassum Florentinis adnitentibus, ne Italia excederet, in Germaniam retrò abiit, paci religioniq; uacaturus: uita fuit est anno imperij XX.

SIGISMUNDVS.

Optimum haud dubie principem, ac nobilissimum Germania nobis imputet: et qui si ad pacis artes quibus excelluit, parem belli felicitatem addidisset, Carolis & Othonibus æquari potuit: nā puer adhuc per Mariā uxorē ad Pannonici regni spē euocatus, mox adolescentes Venceslao fratre, quod parū utilis haberetur, à se capto, Boëmiæ regnum hæreditarium assequitur: sed & Alberto uita functo, omnium uotis imperator

imperator designatur. Hic igitur Pannonia potitus à Ludouici morte, cui Maria superstes filia fuit, duos ac XXX regulos securi percuti iubet, quod regiae puellæ aduersati essent. Vnde illi tanta mox gentis inuidia conflata, ut post uxoris mortem captus, necādusq; magis quam asseruandus foemine, cuius mari- tum ille interficerat, sit traditus: ille uero maiestate oris & blāda oratione dimissus hinc Boēmiam petit; quam non sine labore uix tandem obtinuit, longo ab his bello, ac diffīcili petitus sēpe etiam acie ac his ui- stis. Nec Italica expeditio una alterāue in nos Taurisino agro peruastato felicior: nam Pippus eius dux, & ipse mox tota Venetia ac Foroiulio Venetis ar- mis expellitur. Hinc quia grauius periculum à Tur- cis imminebat, qui iam magnæ Europæ parti se se in- sinuauerant, Gallicis etiā Philippi Burgundi copijs accinctus, ab Amurate Turcarū principe graui prælio uictus, castris etiam exxitur. Cæsis magna ex par- tn ducibus, & Philippo capto, ipse Byzantium fu- giens, mox Venetæ clavis occuru, cui Thomas Mo- cenicus prærat, incolumis de sua uix euasit: quæ clades ignominiosior ne an funestior fuerit, haud sa- tis explicem. Discordia certè nostra uictor hostis Hadrianopolim se recepit: & hæc foris. Quantum autem pace præstiterit, præter generis nobilita- tem (quæ haud dubiè clarissima fuit, tot summorum

principum serie) & præter insignem corporis pro-
ceritatem, ac imperatoriæ plane indolem, affuit illi li-
beralitas ac munificentia, quanta in nullo antea prin-
cipum: religionis ac pietatis augendæ studium incre-
dibile: multarum etiam linguarum scientia, & in his
lingue Latinæ studium excelluit: quare doctos homi-
nes in primis fouit, & dignitatibus etiam amplis ho-
nestauit. Accusauit sæpè Germanos principes, qui La-
tinas odissent literas. A quibus reprehensus quando-
que, q; doctos homines foueret, sed humiles genere:
Ego, inquit, eos amo, quos natura alios antestare faci-
le uoluit. Illud autem nulla unquam ætas obliuiscatur,
quòd triennium magnam Europæ partem ipse pera-
grarit, dum principes Christianos, ac Pontifices adit,
quòd schisma Christiano nomini calamitosissimum tol-
leretur. Nec alterius principis opera magis enituit
in uera pietate iudicanda: quare ita effecit, ut reie-
ctis adulterinis tribus, qui Barionæ sedem inuaserat,
Oddo Columnius magno omnium consensu Pontifex
declararetur: parem operam Eugenio in Basiliensi
synodo tollenda præstítit, à quo tamen prius cōtem-
ptim penè habitus, ac uix post sextum mensem, quām
Senis fuerat, imperij corona donatus est. Hic uero
princeps egregius cūm sine uirili prole deceſſisset,
Albertum Austriæ ducē filię maritum, et utriusq; re-
gni hæredē reliquit, anno imperij uigesimo septimo.

Alber-

Nemo unquam maiore spe ad imperium uenit,
 & sanè conceptam animis hominum opinionem
 nem haud frustratus esset: siquidem toto biennio, quo
 præsuit, Moravae ac Sarmatae, qui hodie Poloni sunt,
 intra suos fines quiescere compulit. Postea conem Boemiam
 factionis hereticæ caput ita attriuit, ut tota Boemiam
 sibi cederet: in Turcas autem profectus, Synde-
 rouiam castellum ad Danubij ripam munitissimum ob-
 sidentes, dum copias in itinere maiores expectat, op-
 pidani deditiōnem fecerē. Ipse Austriam repetens
 apud locum, cui Longauilla est nomen, dysenteriae
 morbo confessus est, Ladislao filio superstite.

FRIDERICVS TERTIVS.

Pacis atque oīj studiosissimus Fridericus exti-
 tit: quam tenore perpetuo annos quatuor ac L.
 (tot enim rerum potitus est) coluit. seu fatum id fue-
 rit, quietiore Germania, quam multis retrò actis et a-
 tibus, seu prudentia uerius id principis effecit. Ille ue-
 rò nihil ab initio antiquius habuit, quam tuendae pa-
 cis studio, tumultus, qui oriebantur, sedare: quare &
 seditionem mouentes Austriales facile compescuit, et
 bellum à Matthia Pānorum rege illatum composit. Quinetiam in Flandros mouens, qui Maximilianum
 Cæsarem asseruerant, recepto filio paucorum pœna
 contentus, omnem discordiarū somitem sustulit. Ducta

Rr 5 igi-

egitur Heleonora Lusitanici sanguinis, cum in Italia
transcendisset, ad Nicolaum pontificem profecturus,
ab eo nullo non honoris genere excipitur, illi & uxori
corona imperij imposta. Hinc Neapolim diuertit
in Alphonsi gratiam, cuius Heleonora pernecessaria
erat, nec minore apparatu à Venetis (cuius enim ur-
bis inuisenda & incredibili desiderio flagrabat) obuiā
illi itū: quos exinde summa semper amoris, ac benevo-
lentiae significatioē dilexit: cuius etiā opera Amedeus
Allobrox, qui se pro pontifice gerebat, Basiliensi cō-
cilio innixus, in ordinem se rededit. Iterū Paulo pon-
tifice priuati penè more uotireus Romā petiit: quo
dānatus retro ad suos abiens quiescēte Germania, tā-
dem imperij anno quarto ac quīnquefimo naturas
concessit, Maximiliano filio Cæsare prius declarato.

MAXIMILIANVS.

Supererat mihi Maximilianus imperator, quem
pater octauo ante quā moreretur āno, Cæsarem
designandum curarat: magnus bello princeps, & pa-
ce præclarus: cuius eximia bonitas, liberalitas sum-
ma, & Christianæ pietatis cultus præcipue commen-
dantur: accedit ad hasce animi dotes, oris probitas,
statura quadrata, in qua tamen imperatoria maiestas
eluceat, corpus ualidum ac robustum, idemq; laboris,
atque operis patientissimum, par uitius frugalitas, et
ex eo ualeatudo prosperrima. De hoc autem, cum ad-
huc

ROM. PRINCIP. LIB. III. 635

huc uiuat, Tranquillū, Plutarchumq; ac ueteres alios
scriptores emulatus, nihil est quod addam. Deus fa-
xit, ut quod illum agitare semper animo Vincentius
Quirinus asserebat, qui legatum Venetum egit apud
illum, summa cum laude, ex sententia conficiat: neque
enim iustius illum est bellum, quamquod pro religio-
ne sumitur, & ea deniq; uera, aeternaq; gloria prin-
cipum nostrorum existimari debet, quam res præclarè
in hostes fidei gestæ commendant.

CAROLVS V. autore F. M. Gallo.

Hunc Maximiliani nepotē Principes Germania
nīe Cæarem declararunt, quoniam non ob-
secrū elucere uisae sunt maiorum suorum uirtutes: &
satis iam testatum est ab eo, hoc paternum habere,
quod pacem preferat pestilenti bellū bello. Hoc no-
mine potissimum Germania eum ceu patrem patriæ
amat & obseruat. Quæ gesserit autem in Pannonia
& Africa, terra & mari contra Turcam, quando cō-
missa sunt à multis literis, & obuia cuius sint, non est
quod repetam. Occupatur autem iam bello, quod ad-
huc dubio Marte geritur cum Gallorum rege Fran-
cisco. De quo nostra nescia mens fati, futuri nihil po-
test dicere. Dominus conseruet nobis diu Carolum,
cum animo patris patriæ, et det illi et nobis pacem, et
rerum omnium tranquillitatem.

TERTII LIBRI FINIS.

IO: